



Ant

103

+



6
IOANNIS CASELII
AD
IOANNEM LEZNERVM
EΥΓΕΝΗΣ
SIVE
DE NOBILI-
TATE
LIBELLVS.



HELMAESTADII
in ac. Iulia excudebat Iacobus Lucius.
ANNO MDLXV. Mense Maio.



PLATO νόμων Ε.

Δεῖ δὴ πάντα ἀνδρα εἶν πρὸς ἐν τῷ σπέυδῳ ἐν
πάσαις πόλεσιν, ὅπως μήτε αὐτὸς κίβδηλῶσι ποτὲ Φαι-
νεῖται ὅτῳ, ἀπλῶς δὲ καὶ ἀληθῆς αἰεὶ, μήτε ἄλλῶσι
παῖσι τῶν αὐτῶν Διγπατήσιν.

Oportet sane, inquit, vnumquemq; vtrumq; æquè si-
mul, omni studio matureq; agere in quacunq; repub.: tum
quemadmodum nec ipse quis vnquam cuiquam adulteri-
nus videatur, sed simplex & verax in omnibus: tum quem-
admodum neq; alius, qui illiusmodi sit, ipsum in fraudem
inducat.

*Integritate nil prius civi putanda:
Quæ tuta telo sit tamen prudentia.
Sed hanc & illam nouerint per oppidum.
Nam tota sic te ciuitas ultrò colet:
Talem nec ausit aggredi vaser dolo,
Nec vulnerare sycophanta mor sibus.*

Ioannes Caselius,



IOANNIS CASELII
 AD
 IOANNEM LEZNERVM
 ΕΥΓΕΝΗΣ
 Siue
 DE NOBILITATE
 LIBELLVS.

QVæ nobis inter nos est noticia perue-
 tus, Lezner, cum pueri & æquales in
 primis litterarum rudimentis educa-
 remur, eius conseruationem vterq;
 vtriq;, ni fallor, æquè debemus. Cum enim e-
 go plus quàm viginti annis pòst, ex Megapoli in
 patriam proficiscerer; & alios ex illo veteri sonda-
 litio, & te istic conueni: quod facilè animaduer-
 ti, non minori tibi voluptati esse, quàm mihi e-
 rat: siue pristina illa in animo vtriusq; nostrum
 reuixit affectio, siue, vt putatur, ea vis est primæ
 consuetudinis in omnibus, vt in animis tenacius
 hæreat

hæreat cum quadam beneuolentia. Atq; hæc consuetudo nisi interrupta fuisset, cum alius aliò puer iret, in certam amicitiam transfisset. Euenit enim mihi, quod & tibi euenire credo, vt qui de puerili sodalitia vel ad mercaturam vel ad rem familiarem transferint, vel ad alia descenderint, vt quemq; vitæ necessitas coëgerit, ijs impensius velim: qui in aliqua parte studiorum doctrinæ perseuerarint, eos non amem solùm, vt æquales, sed & colam, vt amicos: nec verò non plerosq; eodem modo erga me affectos deprehendi. Nec verò etiam aliud te mouit, vt, cum ex Rostochiana in academiam Iuliam migrassem, ad me veneris, hospes, quod & familiares animaduertebant, gratus admodum. Non ignorabas rationes meas; quippe pridem eas ex alijs acceperas: nec ingenij mei monumenta nulla videras, non illa adeo eximia, & ad famam nominis, sed certè mediocria, & ad publicam utilitatem comparata. Nam sic didiceram, oportere vnumquemq; non quidem esse dignitatis suæ negligentem, sed potissimum tamen studere societati mortalium, & ad eam quasi suam symbolam

lam

iam conferre: quod qui rectius faciat, cum non
paullo viuere vulgo beatus, aut, si hoc minus
videatur, esse satis bono honestoq; inter morta-
les loco. Nec etiam me fugiebat, quod tu genus
vitæ coleres: videram enim olim: nec dubita-
bam, quin & litteras, quas plus quàm primori-
bus labris cupidè delibasses puer, regustares,
quoties per munus tuum liceret. Nec te in eo-
rum numero habebam, qui vt primum se ad sa-
cra conuerterunt, hæc adminicula & ornamenta
proijciunt, & tantum non ijs relictis de re faci-
enda cogitant. Hoc enim qui faciunt, eos tu
non magis probes, quàm ego. Nec sciebam ta-
men, quo te præterea studio potissimum oble-
ctares, quod haberes simul pro condimento plu-
rium vitæ molestiarum. Idem prudentiores tui
ordinis vidi facere, quos eo nomine laudo: ac fa-
ciunt ij potissimum, qui maximè abhorrent à
contentionibus quas præsertim declinare licet,
& rectum est. Tranquillitati enim, tum priuatæ
tum publicæ studere, cum primis pium censebi-
mus. Ipse igitur, cum mecum esses, in coena
nobis exposuisti, quid tanto tempore ageres: nec

non specimen tui illius studij apud me reliquisti
vnum atq; alterum. Habes autem & exempla
& instituti tui auctores primi loci theologorum
aliquot, qui cum studia humanitatis & sapientiae
in suo, adeoq; magno pretio habeant tum multi
sint in historia. Nec aliud vos mouet, quam
quod nos, qui ciuilem vitam colimus. Historia
enim cum nihil sit pulcrius, nihil iucundius, tum
confert eadem secundum philosophiam pluri-
mum & in ecclesia, & in rep., & in vita priuata.
Non possum facere, quin indicē, siue ex te quæ-
ram, an non amicos & æquales nostros in ea re
tibi æmulari libitum fuerit: Chytræum dico &
Henningium. Illius enim historiae, & huius ge-
nealogiae, nec ipsæ tamen vacuæ ab historia, ex-
stant. Fortè & Funcius te mouerit, qui nobis
admodum pueris magno labore & magnifico,
chronologiam primus omnium nostra ætate con-
texuit: quem secuti deinceps alij plures, hoc ne-
gotium feliciter inchoatum, perfecisse videntur,
quantum eius fieri potuit. Tu verò te ad histori-
am patriæ potissimum contulisti, & dignitatem
familiarum nobilium, tum quæ in hunc diem
flore-

florerent, tum quæ extinctæ essent, illustran-
dam suscepisti. Quod ego studium tuum siue la-
borem vehementer probo, non tam scriptionis,
quæ re explorata tolerari potest, quàm indagati-
onis. Necessè enim tibi fuit annis pluribus com-
mentariolos omnis generis, in ijs verò & syngra-
phas & diplomata, quibus & horum similia an-
numero, è tenebris eruere, & sedulo perlustrare,
& inter se comparare: hoc etiam nomine multa
loca perreptare: omnes adire, penes quos tale
quippiam latere suspicari posses. Eas igitur mo-
lestias & multas & graues, patienter deuorasti,
vt patriæ seruires, nec virtutem nostrorum ho-
minum situ obduci, & obliuione deleri paterêre.
Sic, ni fallor, virtuti præmium persoluitur, cum
virorum fortium facta in memoria hominum
conseruantur: sic eadem propagatur, quando il-
lustria exempla minoribus proponuntur, non
minus ad imitandû, quàm ad contemplandum.
Vidi postea in manibus meorum familiarium e-
iusmodi satis magnum volumen à te conscri-
ptum & editum, ipsumq; , quoties fuit aliquid o-
tij peruolui, animaduertiq; , te non solùm nobi-
lissimas

lissimas stirpes collegisse, sed nec alios præterij-
se, in quibus enituisset virtutis & doctrinæ erudi-
tum studium. Rectè etiam à te fieri iudico, qui
ita tractes veteres familias, vt nouas non relin-
quendas existimes: nec decet sanè nos imitari
vulgus, qui longinquos aut priscos laudari gau-
dent, præsentì virtuti, adeoq; suo sæculo, inui-
dent. In cæteris autem, quæ de Iagmannis scri-
psisti, neq; dum tamē fecisti iuris publici, ea legi
libenter & relegi: tum quod de nobilitate mul-
tuses, tum ob nouæ gentis auctorem, quem me-
ritò in oculis ferimus. Non tamen ego repre-
hendo copiam orationis tuæ: quin consilio hoc
scribendi genus te sequi arbitror: adeoq; mihi
vidèris lectoris rationem habere: qui est popu-
lus, cui multis verbis eadem sæpe inculcanda
sunt: accedit, quod de plerisq; monere imperi-
tos, non est alienum, quæ, si nobis non nisi cum
eruditis res esset, attingenda non putaremus.
Probo verò sententiam tuam, quæ mihi occasio-
nem dedit de eodem negotio cogitandi: deniq;
cò descendendi, vt meam, à tua non abhorrentem,
per epistolam, siue epistolæ non dissimilem lu-
cubra

cubратиunculam exponere cogitarem. Futurum enim hoc tibi non ingratum sciebam, nec alijs, si qui hæc præterea legerent, ac multis fortasse non prorsus inutile. Expedit enim, & ad consilia in vita rectè instituenda pertinet, cum de plærisq; alijs rebus in vsum quotidianum incurrentibus; tum de nobilitate & dignitate generis nō perperam sentire, nec in alterutram partem propendēre nimium. Plæriq; enim, qui imagines maiorum habent, vt Romani de rei ipsius consuetudine loquebantur, siue vt in Germania loquimur, clypeos & galeas, illa non tam suæ quàm maiorum suorum virtutis insignia identidem in ore habent, & ostentant populo, vt non solùm alios præ se despiciere videantur, nec minus interdum præstantes viros, & bene de rep. aut multis meritos, quàm humiliores de populo, qui neq; ipsi tamen fructu libertatis carent, sed ea quoq; spernere & posthabere, quibus illa & primùm comparantur, & deinceps rectè conseruantur: alij contra nobilitatem omni occasione vellicant, vel in sola opinione, quasiq; nugis ponunt, vel oderunt deniq;: neq; tamen fortè quemadmodū

B

id fa-

id faciant, vident. Nos verò, (loquar enim pro vtroq;, cum te pridem in plærifq; mecum sentire videam, & in alijs, quæ præterea persequar, quorumq; tu mentionem non facis, facile accessurū meæ sententiæ existimem:) neq; cum his, neq; cum illis sentiemus, sed vtrosque, si qui nos audire velint, in viam reuocabimus, non solum, vt rectè sentiant, sed etiam, vt cum illi se præclare gerant, tum hi illos imitentur, vel certè suspiciant. Facit autem primum conuitium nobilitati omnis ferè plebecula: quòd sæpè se à potentioribus premi sentit, aut duriter habitum iri, si sit occasio, metuit: contemnunt etiam genus & viros nobiles, multi de populo fortunati, quòd plærifq; in nummo omnem felicitatem ponunt: item rerum imperiti, quòd dignitatem virtutis non intelligunt, à qua virtute originem ducit genus, quaq; vt solido fundamento nititur, cuius deniq; testimoniū est & euidens argumentum: deniq; inuidi, & qui absq; studio virtutis vitam agunt, vel quòd suam humilitatem siue vilitatem intelligunt, vel quòd eam excellentiam desperant. Hos igitur, & horum similes refutare, parui negotij

gotij est, contemnere verò facillimum. Quis enim à iudicio improbitatis & imperitiæ pendeat? Sunt autem, quos postremum dixi, improbi, superiores imperiti omnes. Sed inter doctos, ut perhibentur, & inter peritos rerum, quod negare non possis, inuenias censores, in viros nobiles & ipsam nobilitatem, duros admodum, & si hoc præiudicium accipis, iniquos: in quibus quis diui Gregorij auctoritatem fortè etiam proferat. Ita enim in nobilitatem non vno loco inuectus apparet, ut generi omnem dignitatem derogasse videatur: verum de hoc posterius. Legas passim, & audias ex alijs, ut prædicentur reuera nobiles, qui dotibus animi præstent cæteris, qui prudentia & reliqua virtute excellant in ciuitate, qui domi forisue res magnas gesserint, qui præclare meriti sint de patria: quæ ut verè dicantur; (quis enim neget aut dubitet, si ad primam legem respiciamus?) non efficitur tamen inde, ex talibus ortos & auctoritate legitima dictos, & quasi renunciatos nobiles, non esse vel cum primis, vel proximo ab illis loco & nuncupandos & habendos nobiles. Quin, ut est populi censura, & vulgi

fermo, illi neq; dū sunt nobiles, nec censeantur in ordine nobilium: vt veritatis, nec in omnes ob inuidiam disseminanda, oratio; non paullò adscenderunt altius, quàm qui legibus & habentur & sunt nobiles. Nec eorum valere potest querela, qui virtutem à nobilitate opprimi, aut virtutem ob generis opinionem minus emergere clamitant, cum gentes natæ ex virtute, eandem & conseruent fidelius, & propagent felicius. Et enim non solùm cuncti similes videri & dici maiorū volunt, sed ne de plerisq; dicam, in quo tamen non penit' aberrare videar, certè non pauci nobili loco nati pro virtute strenuè dimicant, & quod eòdem redit, tum ad laudē familiæ veterem tuendam, tum ad adipiscendam nouam, nihil non ipsi faciunt. An non enim videmus, adulescentes ad primè nobiles, quos & quantos labores, tolerare doctrinæ & virtutis gratia? Quàm graues enim sæpè sumptus faciunt, vt ab imperitioribus sæpè profundere patrimonia & putentur & dicantur? an non præterea vel in peregrinationibus longinquis, vel in militia certis periculis se obijciunt, non alia nisi virtutis veræ q; laudis gratia?

tia? Nec enim omnes eo animo militant, quo mercatores negotiantur: quin ut hanc rationem, quæ rei faciendæ incumbit, & hoc ipsum profitetur, iccirco non reprehendendam putes, ita virum nobilem solida laude nemo afficiat, qui non patriæ salutem aut rei militaris laudem in iusta militia, sed exemplo nequam tribunorum, pecuniam & opes quærat. Hæc autem & alia vitia, non ipsam nobilitatem, iure quis infectetur: quod nobilissimi quique ipsi faciunt, quò magis ab impuris hominibus laudatissimum ordinem vindicent. Nec verò deest, quod theologo respondeamus, siue quemadmodum eius obiurgationes interpretemur. Non ille nobilitatem aut genus carpit, sed in fastum, in improbitatem & impietatem passim serio & grauius inuehitur: quod si eius verba, & in primis acre quoddam epigramma, ad quam rem locus non est, interpretemur, hoc magis appareat. Nec ipsum velle aliud docet inscriptio, qua profitetur, se adoriri nobilem, prauis moribus imbutum, quem quiuis etiam alius gentis suæ maculam dixerit, & in agnatis minimè agnoscat. Adde,

B 3

quòd

quòd ipse vir nobilis in oratione vna atq; altera
 præstantes virtute & vitæ sanctimonia viros à ge-
 nere & maioribus laudat: vt quid super hac re
 sentiat, dubitare non possit, qui hæc cum illis
 comparet. Ad alteros venio, nisi potius præter-
 eundos censeamus, qui ex imaginib; maiorum,
 siue ex maioribus, & ex diuitijs, & aliquando ex
 potentia, quæ cum illis plærumq; sunt, magnos
 spiritus gerunt. Facile enim ea vanitas agno-
 scitur & refutatur, inscitia per se statim apparet.
 Quis enim non videt, eo pacto supra modum in-
 scitè, vmbra pro re venditari? Vt primum au-
 tem, qui à multis a deo sæculis familias habent,
 rem ipsam, virtutis scilicet splendorem nobis o-
 stenderint, quiescent vltro, & se erroris conde-
 mnabunt, non degeneres iam, nec maiorum
 amplius dissimiles, qui ea insignia virtute pepe-
 rerant & conseruarant. Ostendit enim quidem
 se virtus, non ostentat. Cum autem, qui in ge-
 nere ponunt omnia, & hoc ipsum & auitas opes,
 & si qua ea est ab his & ab affinibus, potentiam,
 in quotidianum luxum, in quidlibet audendi li-
 bidinem, humiliorum contumeliam, iniurias,
 & sæ-

& sæuitiam conuertunt, vt plærumq; sunt res secundæ sine disciplina; hoc ipso testatum faciunt, non esse bonorum illa prima, quibus tantopere in perniciem vitæ & aliorum & suæ abutuntur: quòd si ijs rectè vterentur, alia à primis secundum, alia tertium, quæq; suum locum dignitatemq; facilè obtinerent & tuerentur. Principem enim locum tenent virtus & sapientia: de quibus nihil mali siue incommodi suspiceris, nedum metuas. Speret autem vnusquisq; ex ijs secundum Deum, quicquid est in rebus humanis boni & salutis. Nec hi igitur, nec illi facient, vt eximium & singulare bonum esse desinat nobilitas: quam societati mortalium non solum utilem, sed necessariam ostendere, nec alienum, & in procliui videatur. Neutram enim in partem peccauerim, siue genus virtutis sementem aliquam, siue certum eiusdem radium appellem. Namq; & ex virtute nascitur genus, & ex genere propagatur virtus, modò, qua omnibus opus est, liberalis educatio, & cultura animi accedat: quod vt se habeat, cum intelligi per se possit, longiore oratione ad explicandum hic non vtar. Ni-
si au-

si autem hic ordo necessarius vitæ mortalium foret, non eundem ita ab hominum memoria tuerentur optimi & potentissimi quique populi: qui pietatem in Deum cultumq; numinis ipsi vitæ anteponerent: qui virtutem sapientiamq; præ cunctis fortunæ bonis in precio semper haberent: qui neminem ex libidine vitam agere permetterent, sed ex æquis legibus viuere vniuersos iuberent & singulos: ad quem modum homines liberi non paullo commodius ac beatius, quoad fert conditio mortalium, vitam degunt: aut certe carent perpetuis & immanibus miserijs, quas recensere non fortè abs re, sed nimis longum foret. Contra vbi barbarè, vbi in seruitute, nec mortalium conditioni consentaneè, sed temerè & pro cuiusq;, maximè potentiorum impetu, sine ratione cum violentia proq; libidine viuitur; aut familiæ nullæ sunt, aut si quæ sunt, ex meliore fortè sæculo quasi quædam reliquiæ, vel delentur in vniuersum, vel ne virtus emergat libertas uè reflorescat, premuntur & exanimantur, deniq; minima occasione euelluntur à radicibus. Non est, vt ex priscis sæculis exempla proferam:

memi-

meminimus, ut quouis Echeto, aut Busiride, aut Phalaride, aut Nerone tætrior & immanior, qui quotquot fuerint, & futuri sint tyrannos pectore complexus fuerat, Basilides, si quem ille suspectum haberet, [aut si cui succensuisset, (irascebatur ille quidem omnino cuilibet, sed potissimum ipsi virtuti & splendori, hoc est, optimo cuique & nobilissimo) non eostantum crudeliter è medio tolli iussit, sed & quotquot ipsos sanguine aut affinitate attingerent, neque, hos solum, qui nullibi offenderant, sed & eorundem amicos aut familiares, aut qui familiares vumquam fuissent, ne quid relinqueretur boni semini, à quo aliquando sibi metueret crudelitas. Itaque illius dominatus erat veluti sentina calamitatum omnium, vbi feliciter commodeuè nemo, nedum beatè viueret. Ille igitur tyrannus non minus nobilissimum quemq;, quàm promiscuum vulgus in mancipijs habuit: nobilissimum dico, si fortè nudum hoc nomen, amissa re, retinendum videatur. Apud Turcam verò, quo nemo in orbe nobis cognito latius imperat, quis omnium gentium, vel an vnus omnium, se liberum

olib

C profi-

profiteri ausit, nedum illustrem virum aut nobilem? quod nomen si cui, ipsi parentium, à nobis, qui vel à regia stirpe descenderit, tribuatur, non minus ille durissimo æternoq; seruitutis iugo premetur. Hoc nimirum tyranno expedit, qui neq; ratione quicquam agit, neq; de suis populis benè mereri cogitat, sed omnia pro libidine, siue violentè, siue callidè administrat. Neq; enim id consilium vocabimus, quod ad finem legitimum non dirigitur: nec beneficia, quæ ille siue largitur, siue ostendit, tyrannidis suæ industrijs & fidelibus administris. Nec enim solùm illa aufert, cum libet, sed eos ipsos quoq; sæpè verbo aut nutu crudeliter mactat, ob leuissimam suspicionem: & hoc ipsum pro ludo habet & ioco, nedum se crudelem vel inhumanum existimet. Nam si illos omnes non manet idem exitus, at nemo omnium est, quin, quoties eam seruitiam cogitat, quod identidem fieri necesse est, toto animo cohorrescat: quo quid potest fieri infelicius? quid miserius? Proinde mihi nonnumquam in mentem venit mirari, rerum humanarum peritissimos nonnullos, de hac re ita disse-

differere, ac si illic virtutis & meritorum præmia sint aut singularia, aut certè non cum illis comparanda, quæ dantur in imperijs Christianorum. Primum enim nec esse in mancipijs, nec nasci veram virtutem qui dixerit, hoc, credo, apud intelligentes verbo, apud omnes bonis rationibus facile obtinebit: nec prorsus in ijs, qui nec formam, nec finem virtutis, auribus acceperint, nedum animo contemplati sint: nisi quis cum populo, aut etiam cum barbaris loqui velit de rei militaris studio, quod sine virtute aliqua, aut multis, quæ cum virtute sunt coniuncta, necesse, nec perfici fatendum est. Proinde & milites ibi egregios, & eximios belli duces esse non negabimus, quos ille tamen solidis præmijs non ornat, ac ne eos quidem, quos cum summa benevolentia proximè suo solio collocat. Nemini enim, neq; dedit, neq; dabit vñquam, quod cum minimum esse videatur, absq; eo tamen sincerum & perpetuum esse nullum maximum beneficiũ potest: libertatem dico, omnibus mortalibus auro Croesi & primis satrapèis optabiliorem. Vbi enim ad vñius non hominis, sed plus quàm im-

manis belluæ nutum in vniuersum viuitur, à qua
 conditione nemo se eximat, ibi ne nomen qui-
 dem libertatis vsurpare licet: sicubi hæreat, nihi-
 lo plus efficiat, quàm ex Epicuri somnijs natæ a-
 tomi. Vtinam verò nostri homines vera vitæ
 præmia siue bona, omnibus omnium ordinum
 communia, intelligant, cum quibus quæ tyran-
 ni dant amplissima, millesimam partem falsò,
 compares: nostra illa dico, libertatem & ius æ-
 quum: illam, legibus, vt oportet, terminatam,
 hoc, vt quisq; ab omnium iniurijs tutus sit, aut,
 quod secundum est, & omnib; æquè propositū,
 certè vindicetur. De his tantis bonis & humilli-
 mum quemq; & mediocres, & nobili loco natos,
 & ipsos rerum pub. principes, rectè pleneq;, plu-
 ribus de causis informari, & familijs, & vniuersis,
 & orbi Christiano magnoperè expediat. Sic e-
 nim habeat vnusquisq; plurimum quod gaude-
 at, minimum, quod queratur, & in tantis bonis
 pridem partis acquiescat: quæ præmia prima re-
 ctè dici autumo: nec loquor, vt qui de porticu e-
 rant: sed in quo, qui sapiunt, audito, idem senti-
 ant: & huic sæculo & futuro conseruandis, omne
 studi-

studium ponamus. His autem tantis præmijs vniuersos contentos esse oportebat: nec quemquam temerè inhiare pluribus, quod illa per se vel omnia præstant vel potissima: nec maiora esse aliqua, præter hæc putare: etsi vulgi oculos perstringit splendor opum & honorum, & hæc vmbrae animos sua sponte ita fascinant, vt se de præstantia & dignitate & legum, & libertatis erudiri haud facile patiantur. Nam si de studijs sapientia, de virtute, de cultu numinis quis è rostris ad populum verba faciat, nihil promoueat, neq; quemquam commoueat: quæ tamen omnium prima sunt, adeoq; totis gentibus præmia, quæ diximus, conciliant: nec aliter, nisi iisdem illis constitutis, conseruantur & propagantur in alterum sæculum: quod omnibus curæ esse debet, non solum ob communem generis coniunctionem, sed etiam propter nostros, quos carissimos habemus, & pleriq; nobismet ipsis cariores. Verum quia siue naturæ vitio, siue aliorum exemplis, siue quacunq;, nec vera, nec graui causa, necessarijs & determinatis non acquiescimus: ita vt alij ad diuitias, alij ad honores, alij ad vtraque

prouehamur altius, nec nulli ad imperium: cum-
 que euentus cuiusq; desiderio non respondet, se
 excludi præmijs queruntur: idq; falsò maximam
 partem, cum & ijs ordine, atq; interdum non ma-
 ximo negotio potiri posse videantur. Nam qui
 diuitias sitiunt, ijs licet fortunam experiri suam
 in administranda re familiari, siue sua, siue locu-
 pletum & principum: nec minus in varia mer-
 eatura. Fœnorationem ipsi arripiunt multi, à
 qua deterrere ad vnum omnes ex vsu sit, cum &
 beneficentiam tollat, & tenues enecet, & au-
 ctori infamiam apud bonos crect. Deniq; vbi li-
 bertas, vbi leges vigent; ibi multæ emergendi vi-
 æ sunt ex inopia, non solum, si quis ingenium &
 industriam ad rem adferat, sed etiam, si quis tali-
 bus auscultet, & fidem præstet. Verùm de hoc
 genere non agam pluribus, cum etiam honesti-
 ores libenter ab ijs dissentiant, qui eiusmodi for-
 tunas vel solas, vel potissimum in præmijs po-
 nunt, neglectis honoribus, aut si eos petunt, id
 auaritia faciunt, quoniam ipsis commoda adhæ-
 rent, non vt in pretio sint & colantur ab alijs. Ho-
 nores certè in præmijs sunt, ad quos legitima via
 adspira-

adspirare non nulla spe adipiscendi cuius licet: siue quis quærat munera militiæ, siue opima sacerdotia, aut præfecturas, aut magistratus, aut ipsam deniq; nobilitatē, quam quis non sibi tantum, sed & filijs, & nepotibus, cunctisq; minoribus, quamdiu & nascuntur, & se dignos auctore gentis gerunt, paret: Non nego, tale quiddam non absq; molestijs, labore, vigilijs, contentione diuturna, comparari: sæpè discrimen fortunarū, vitæ, deniq; famæ adeundum, etiam cum rectissimè facias. Namq; ex euentu multa vulgo æstimantur: & sunt pauci admodum, qui dextrè de rebus censeant: alijs natura iudicium negavit, alios transuersos agit malitia: quin contendo præterea, secus fieri non oportere. Nec enim magnum haberi potest, quod paruo negotio pareretur. Nec nego, aliquando spe sua frustrari, qui negotium suum omnibus honestis rationibus vrgeant, siue quòd eam, qua honores expugnantur, præstantiam non assequuntur, siue quòd non omnium, qui digni sint præmijs, idem factum est, siue quòd hæc rei natura est, vt, quæ prima sunt, non nisi paucissimis eueniant. Nec nego deni-

go deniq; quemadmodum sæpè fuci irrèpunt in
 alucaria, ita interdum solere astutos sine virtu-
 te, vel non satis bonis artibus, vel violentia ad
 honores adscendere, quod digniorum animi
 doleant, graui animaduersione notent boni. At
 meminerimus res mortalium ab omni parte va-
 cillare, nec habere quidquam, quod omnibus
 numeris absolutum sit: adeoq; & in illis multum
 desiderari statuamus, qui cum id non satis intel-
 ligant, tum neq; ex sese coniecturam faciant: ac
 propterea, quæ huius generis fiant, non nimis i-
 niquo animo feramus. Quorsum enim indigne-
 ris, etsi hoc rectè fieri, quidam sapientum prodi-
 derunt, quo neq; quicquam proficias, & te con-
 turbes atq; imbuas quasiq; compleas noua mole-
 stia? Neq; non etiam hoc sese consolari, & im-
 petum animi sedare vehementior potest, quòd
 qui immeritò honorem vel primum gerit, laude
 apud bonos careat, & vera gloria excidat: quæ
 profectò honoribus amplissimis & maiora & an-
 teferenda sunt. Quòd si qui honoribus omnino
 digni sint, (cuius rei non satis idonei existimato-
 res plærumq; sumus, quòd vnusquisq; se nimi-
 um

um amat, præter paucos, si qui in sui notitia à primis annis adoleuerint) nec vñquam tamen in eorum possessionem veniant; virtus & merita, quibus debetur honor, semper laudem apud bonos, interdum etiam gloriam ad longinquos & ad posteros inueniunt. Fieri autem potest, vt hoc de rebus iudiciũ non omnes capiant: quod si pleriq; & didicerint & sequantur; & ipsi quietiore animo sint, ac vitam degant suauius, & minus turbetur in republica. At fortè tibi videar ab instituto vtriusq; digredi longius: quod tamen consilio feci, vt de vitæ præmijs magis loquerer. In ijs libertatem & leges rectè, vt opinor, posui: nemo nos, opinor, reprehendet, si ijs nobilitatem proximè adiecerimus. Nec enim quis neget esse & testimonium virtutis, & præmium, & ad eam incitamentum, & cum ea eximiam libertatem, nec licentiam tamen: deniq; si officium faciat (quod studium in plerisq; esse, & hoc omnes præ se ferre, neq; nos negabimus) integritatis exemplum, & magistrum virtutum. Neq; verò hæc splendidius dici, quàm verius existimentur. Primùm enim in populo, quotusquisq;

D

virtu-

virtutis vmbra agnoscit? in tenuioribus vrbi-
 um Germaniæ familijs non habetur nulla ratio
 virtutis, & reperiuntur, qui decori sint patriæ: sed
 ob angustias rei familiaris, nec interdū toti, nec
 omnino omnes vacare virtuti queunt, sed ne-
 cesse habent vel mercaturam facere, vel humili-
 ores etiam rationes inueniendæ rei sequi: quæ si
 cum bonis moribus rectè facileque coniungun-
 tur, tamen ad virtutem siue civilem siue milita-
 rem eximiam contendentibus per se obstant non
 parum. Considera mihi iam ampliorum & for-
 tunatorum nobilium familiarum vnam, quam
 noueris: nemo ferè non erit omnium fide præ-
 stans & integer, alius militiæ operam dederit, a-
 lius litteras didicerit, principi præstò fuerit alius:
 in primo senatu alius sententiam dicat: vides a-
 lios mereri de alijs, nec solùm de humilioribus,
 sed & de tenuioribus sui ordinis: alios viuere
 splendidè tam domi, quàm foris, quod est cum
 studio, immò cum re ipsa merendi de pluribus:
 alios educationem filiorum, & elocationem fili-
 arum, in prima summaq; cura ponere. Quid
 horum & cæterorum, (nec enim omnia recen-
 sue-

suerim) non est virtutis, aut absq; singulari virtute geri queat? perfectionem in omnibus iniquè postulemus ab omnibus: qui officium religiosè colat, ab eo virtutem coli, qui plærasq; illius partes expleat, hanc ab eo non prorsus negligi, non inficiabimur: nec nullo erit loco, qui rem familiarem sedulò procuret, atq; interdum venationi impensius incumbat. Sunt enim & hæc virtuti affinia, siue ipsæ officij partes. Quod si vnus omnium in ignauo otio luxui deditus sit: non solùm ille ab alijs, sed à suis vniuersoq; illo ordine malè audit: vt facilè intelligatur, nobilitatem virtuti consecratam, à nobilitate exempla & disciplinam honestæ & laudabilis vitæ rectè peti: vt antè à me dictum fuit. Nam si quis prorsus degeneret, aut ad ea, quæ toleranda non sunt, transeat; eum nec familia agnoscit, & ordo repudiat. Ratio deniq; ipsa conuincit, vt nobilis familia absq; multa virtute tot sæculis, quot aliquæ verè numerant, minimè duret. Neq; non & ratio demonstrat & res ipsa docet, in generosis familijs propagari virtutem: quæ in alijs obscurior sit, in alijs illustrior, fortè & alia de caus-



fa, quam sapientes videant, sed propterea maxime, quod non æquè bona omnibus contingit educatio. Perfectos enim virtute futuros apud Platonem ipse arbitrabatur Socrates, qui nobili indole nati, benè etiam educarentur: quod à teneris annis fieri oportere, & eodem loco & multis alijs docet: & alicubi in hoc ipso omnia esse contendit: quam sententiam deinceps sapientes, vt oraculum, amplexi sunt. De familiarum nobilitate nobis sermo est, non ciuitatum & populorum. Nec enim me fugit, gentes alias alijs censerì nobiliores, prout præstant alijs origine, vetustate, moribus, integritate, prudentia, scientia rei militaris, libertate, legibus. Olim nobilissimi habebantur & erant Græci homines: quod essent, vt in vnum cuncta conferam, & vita & alijs rebus, omnium gentium cultissimi: nec ipsi iniuria populos, qui à cultu humanitatis abhorrent, aut longius recederent, appellabant barbaros. In ipsa Græcia nobilior erat Sparta, potissimum ob fortitudinem & leges: ipsiq; habebat quotidiè in ore Heraclidas suos & Lycurgum: nobilissimæ Athenæ, quæ antiquitate, iustitia,

stitia, prudentia, humanitate, beneficentia, nec
 minùs fortitudine, eloquentia & studijs omni-
 um liberalium artium, ipsa magistra virtutis, ma-
 tre veritatis philosophia, omnibus deniq; arti-
 bus pacis & belli antecellebant omnibus. Hinc
 igitur de suis ciuibus in concione ausus fuit asse-
 uerare Pericles: Elegantiæ, inquit, ita studemus,
 vt in eam opes non profundamus, & ita incum-
 bimus studijs sapientiæ, ne mollitie diffluere vi-
 deamur. Iactabant autem suos Theseos & Solo-
 nes, & auctores tribuum optimos viros, à quibus
 plariq; ortum ducebant, quos vt admirarentur,
 ita ad imitandos sibi proponerent: vnde libenter
 audiebant, Erechtidæ, AEgidæ, Pandionidæ,
 Leontidæ, Acamantidæ, Onidæ, Cecropidæ,
 Hippothoontidæ, AEantidæ. Videmus, vt no-
 bilissimi mortalium familias in pretio habue-
 rint: etiam vt profapias heroum accuratè perfe-
 cutus sit, scriptorum sapientissimus Homerus:
 nec aliter fecerunt & senserunt quotquot gentes,
 & seruant eum morem, vt legem perpetuam,
 cuncte etiam nū hodiè, à quibus non omnis exu-
 lat humanitas. Quod ad nos attinet, non arbi-

tror causæ aliquid esse, vt vlla se omnibus rebus
Germaniæ anteponat, & haud scio, an vlla plu-
ribus haberi debeat nobilior. Primum enim di-
gnitas prima est, quæ imperij appellatur ab annis
inde octingentis: nec laudem omnem bellicam
amiserimus, quod fortassè tum appareat magis, si
coniunctis viribus hostes maximos adoriamur:
pace & legibus constituta, & quasi coagmentata
hodiè ita sunt omnia, vt nullis vmquam antè
sæculis rectius: ea iustitiæ facies, vt nemo impu-
nè cuiquam contumeliam aut iniuriam faciat:
ea disciplina, vt nec principes premant impoten-
tes, & nemo viribus absq; iure aliquid conetur,
cuius non ipse rationem legibus reddat: nec legi-
bus ille se eximat, cuius auctoritate leges valent:
ea libertas, vt quod iure liceat, facere nemo pro-
hibeatur: ea rerum tranquillitas, vt cum in armis
semper sint vniuersi, & gladio quouis tempore
& loco accinctus sit, qui velit, nusquam tamen
seditio, nusquam conspiratio: ita florent omnes
liberales disciplinæ, cum nullibi non, tum in a-
cademijs, vt, etsi ijs vel barbarus aliquis vel so-
phista obsistat, passim tamen emergant, & hinc
inde

inde illucescant magis: ea ordinum, quasi ædificij iustis legibus compacta coagmentatio, quæ & in se & aduersus alios impetus diuturnitatem polliceatur, modò consilia porrò legib⁹ respondeant: quod optabimus & sperabimus: neque nulla sunt prætereà, his paria. Nec fortè omittere oporteat, prouinciarum multitudinem & amplitudinem, nec copiam & potentiam rerum, nec foecunditatem in regionibus plærisq; omnium rerum necessariarum, nec nauigationes, nec portuum commoditatem, vt si qua desiderentur, ea importari ex vniuerso orbe rectè intelligantur, etsi necessaria nulla desiderari plæriq; iudicant. An non enim rectius careamus vestibis sericis, aromatis, vinis exoticis, quæ omnia non ad vsum, sed ad delicias & luxum aduehuntur: quibus etiam omnibus nemo legitur factus melior, corrumpuntur & pereunt non singuli solum, aut quædam familiæ, sed totæ gentes & optimæ quondam & fortissimæ. Sed ne talium etiam Germanis penuria sit, faciunt inexhaustæ metallorum fodinæ: quo bono peregrini populi magis fruuntur, quàm nobis expediat.

audiam

hanc

hanc bonorum Germaniæ prædicationem non leuiter labefactari posse video. Namq; & ipsa, in se alicubi imperfecta sunt, & desiderantur alia: neq; non eorundem alia atq; alia illustriora dixeris in alijs atq; alijs orbis Christiani partibꝰ. Quod ad alterũ, neq; alios nobis, neq; nos alijs aut inuidere, aut sua incommoda exprobrare par est: nec minùs tamen res ipsa loquitur, ea, quæ recensui bona, eâ copiâ, in vicina gente nobisq; exploratâ, apparere nulla: sed desiderari ab illis ipsis, vel plæraq;, vel aliqua, quibus pessimo suo careant: nec non fatemur, quædam possidere alios bona, concessa ipsis diuinitus, quæ optare nobis facilius, quàm comparare valeamus. Nec verò præter ea, quæ recensui, non alia desiderari credibile est, quorum quæ industria acquiri possunt, consequentur fortè aliquando nostrũ aliqui: in quod videntur & principes & prudentia ciuili præditi magno etiam studio incumbere, quemadmodum & in alterum, vt quæ in manibus sunt, & custodiantur & perficiantur: etsi in hac parte cogitari statuiq; debet, quod & antè dixi, in rebus humanis nihil esse perfectum, & omnibus

mnibus beatitudinis numeris absolutum. Tamen si quis ea omnia in hunc modum consideret, simulq; non solum nostra cum externis, sed etiam presentia cuncta cum cunctis priscorum sæculorum comparet; non adeo informem infelicemq; Germaniam, sed pernobilem esse in uniuersum, quicumq; nihil cuiq; inuideat, nec sibi temerè omnia arroget, & sentiet, nec infitabitur. Solent autem, quod æquitati & veritati congruit, & viri moderati & cultæ gentes agnoscere & bona sua & mala, & de alijs rectè sentire, absq; inuidia & superbia: quo ingenio & populares nostros esse confidimus, & ipsam Germaniam nouimus. Hac igitur de causa, nempe quod nobilissima est, ordinis equestris familias longè nobilissimas esse existimandum puto, vel ob alteram quoq; , si nobilitati ex antiquitate plurimum accedit, vt vulgo putatur, & consentaneum est. Nam qui tot sæculis virtute nobilitatem familiæ tutati fuerint; eos & ipsos esse nobilissimos, & sui similes procreare, & ad idem decus suos educare, & credibile, & palam est. Nec parū ad hanc rem conducere arbitremur, quod

E

in

in sincera familiarum propagatione singularem
& perpetuam curam adhibent, ab illo vsque in
hunc diem sæculo, quo instituta & frequentata
fuerunt in Germania, quædam equestria certa-
mina, in quæ descendere nemo, nisi nobilissi-
mus & optimus auderet. Nam quando illa ipsa
primùm aperta fuère, iisdem legibus studium
quoq; virtutis nobilitati impositum addictumq;
fuit, à quibus videlicet excluderetur in vniuer-
sum, qui adulterini generis esset, qui opificium
exerceret, qui foenus faceret, qui impuram vi-
tam ageret: sed nobiles illas conditiones à nobi-
lissimis regibus & sapientissimis viris initio san-
citas, nec enumerò omnes, nec in memoria ha-
beo. Manet ea generis tuendi cura, & gentibus
ingeniosissimis ita probatur, vt cupide familias
suas ad stirpes Germanicas referant: nec ignoro
tamen illam etiam in censuræ exterorum repre-
hensionem incurrisse: qui quàm rectè iudicent,
non iudico: quod illi tamen incommodi metu-
unt, nec euēnit, nec euenturum auguror. Fit
interdum, vt nobiles nubant humilioribus: per-
rarò, vt quamuis tenues ducant humiliores diui-
tiji

tijs affluentes: atq; hinc apparet, maiorem dignitatis, quàm pecuniæ rationem haberi: quin luculenta forma coniuncta cum pudicitia adolescentem nobilem apud nos citius, quàm multa auri talenta expugnarit. Nec tamen suis legibus moribusuè, quasi vallo, ita obseptata est nobilitas, vt alijs omnibus ad eam interclusus sit aditus. Hoc enim si fit, quod nec expediat, nec status hic rerum sinat, periculum fit, ne hic primis honoribus & bonis cumulatissimus ordo, aliquando vel in vniuersum, vel maximam partem occidat, cum familiæ aliæ ex alijs intereant, quarum etiam memoria occideret, nisi tu, Lezner, & alij viri docti, virtutis & historiæ amantes, ex oculis sublatarum memoriam ab interitu vindicaretis. Nec verò tantum datur aditus ad nobilitatem, sed vnicuiq; maius quiddam & nobilius propositum est, quo alij, quos esse paucissimos, in re omnium difficillima, necesse est, altius euolant, alij se in nobilitatis castra siue ciuitatem insinuant. De illis, qui vitæ ciuilibis splendorem non despiciunt, non tamen affectant, sed assequuntur tamen, quod expectare poterant,

et si non petebant, bonorum beneuolentiam &
 prædicationem, etiam in longinquis populis &
 ad posteritatem in illis gentibus, ubi cultus ali-
 quis & nomen est virtutis & sapientiæ, hic disse-
 rendi locum non habeo: hos ob virtutem siue
 ciuilem, siue militarem & singularia erga remp.
 merita ipsa allicit & complectitur, ijsq; aperit, &
 dedit se vltro nobilitas. Qui enim genere & vir-
 tute nobilis est: vtraq; enim esse & volumus &
 oportet, nec refert, etiam si imperitiores, aut in-
 eptior, non nisi genus in ore habeat, quem ipsum
 tamen huic virtutem postponere, fortasse pude-
 at: hic, inquam, vtrinq; nobilis, non amet so-
 lum, sed admiretur in quocunq; virtutem, cuius
 tanta pulcritudo est, vt eius iubar vel animi ho-
 stilis oculos præstringat: quo ille nobilior, hoc
 magis & virtute & meritis præstantem, reliquis
 vitæ ornamentis auctum velit, & ipse, si possit,
 augeat: cuiusmodi sunt, & alia quæque fortunæ
 bona, & hæc primarij ordinis dignitas. Namq;
 eo ipso, quòd bonus, iustus est, & abhorret ab in-
 uidia. Nolim hoc persuasum alijs, nedum ad id
 credendum facilis sim, esse permultos ea iudicij
 dexte.

dexteritate & virtutis excellentia. Hoc inscitiae esse dixerim, de nemine ita statuere, non solum de bonis omnibus, sed de se quoq; ipso sinistrè existimantis, & nimis grauem animi morbum prodentis. Primi præcipuè virtutem intelligunt, virtutis signa non parui faciunt, argumenta agnoscunt: virtuti præmia meditantur, & quarunt, & tribuunt, quod in ipsis est. Ij sunt, ni fallor, fortunatissimi quiq; & principes, qui ex vultu, ex moribus, ex oratione, de virtute iudicium faciunt. Nec enim hæc animaduersa semper, perpetuo fallunt: signa sunt vera virtutis, si sibi illa continuè respondeant, & probè constent, nec vacillent aliorum: immò ex re ipsa, nempe consilijs, industria, fide, rebus gestis, quæ diu multumq; non solum in alto otio, sed etiam in aduersæ fortunæ & periculorum fluctibus explorata, non vt illa interdum, fallere censorem posse videantur: & quorum animos & virtutem perspiciunt, & quanti illa sunt, æstimant: cum quod virtutem virtute ornatissimi maximè intelligunt, tum quod eorum vtilitatem necessariam senserunt in priuatis rebus & in publicis.

rem, & qui se à vitijs enormibus vix remouent, & opinione virtutis contenti existimationem suam vtcunq; tuentur, in tales tantosq; viros censura & dicacitate multis modis iniurij sæpè sunt. Vident esse primo loco, à latere principis, in honore haberi, esse lautos & splendidos, cumulari beneficijs, affici præmijs, quæ omnia non iustitiæ & æquitatis, sed inuidiæ & malitiæ oculo & contemplantur & æstimant: at animo minimè perpendunt, quanto tempore, quo sumptu, quanto labore dotib; ingenij partis, vix demum innotuerint, cum pleriq; alij vel in voluptatibus, vel certè otiosè vitam degerent: quibus cum molestijs ijdem perpetuo conflictentur, vt sint mancipia negotiorum, vel apud indulgentissimos principes, vt dies noctesq; in negotijs, atq; vtplurimum pro salute publica excubent, vt quasi in alto ferantur, & rarò secundis ventis, in perpetuis fluctibus, cum cura metuq; maximo, non tam ne in importuosum littus, quàm in latentescopulos illidant. Nec enim beatiore esse regibus possunt: nec par sit. Hæc enim regum, atq; in primis laudatissimorum, vita est, in opi-
nionē

nione summæ felicitatis: pro salute populorum vigilare, nec vniquam ferè quietem capere, nedum voluptatibus perfrui. Summos enim labores & perpetua pericula verbo iam molliam. Deniq; qui vitam in regijs expertem periculi facit, ille mihi perpetuam malaciam, & mare sine ventis, & fluctibus somniat: nec debet verò esse cuiquam aulæ minus, quàm maris suspecta tranquillitas. Sed contraham vela, & ad eum veniam, à quo occasionem loquendi de nobilitate sumpseras, cum querela siue expositione, invideri novis hominibus, quibus favere quemlibet bonum oportebat, & ego accedens tuæ sententiæ, nobilissimos quosq; hoc facere & autumo, & tibi quoq;, ni fallor, probare videor: videar certò, si viros nobiles, quos tu quoq; ipse noveris, nominem, verè nobili, & tantum non regio animo, vt cum sui ordinis negligentibus, qui fortè plures sint, non leuiter irascantur (namq; maculas oderunt) tum qui virtute emerferint, ijs maximè faueant, cum ijsdem & se comparari, & totos dies esse, quàm cum negligentioribus acceptæ à maioribus dignitatis, malint: qui item tenuio-

nuioreſ liberaliter ſubleuent, inſignia virtutis virtute parta gratulentur. Qui hoc iudicio ſunt, auctorem cuiuſq; gentis ſummum & nobiliſſimum eſſe, ſoli intelligunt: quod vel vno per orbem noto pluribus ſæculis exemplo demonſtremus, modo quiſ animum ad illud ipſum referat. Qui enim forent Heraclidæ, ſine auctore gentis? abſq; Hercule foret, quiſ Heraclidarum nomen uſurparet, vel audiuiſſet vnumquam? Nec controuerſum vnumquam fuit, neq; erit, Heraclidis omnibus illuſtriorẽm Herculem, & quod in eo mireris, ſine diſceptatione & inuidia. An non etiam qui initium dat, aut omnia facit in vnaqua; re aut plurimum? an non in vniuerſum, qui largitur, beatior iudicatur eo qui accipit, idq; magis, ſi neceſſe ſit accipere, modo iſ eſſe velit, quem ſe perhiberi gaudet, & tantum non ipſe prædicat? Neſcio autem, vt cum nemo hoc negat, ſi ad ſermonem ventum ſit; in alia tamen ſententia plerique eſſe videantur, non falſa ſolum, ſed etiam parum honeſta, quòd in eum ingrata, cui omnia, vel quod in hoc genere potiſſimum eſt, debeatur abſq; controuerſia. Quod ſi
cui

cui hæc altius indagare libeat: rarò etiam videas hominem nouum, in cuius parentibus non fulserit prima illa & natiua nobilitas, quam ipsam quoq; ciuilibus nobilitatis originem siue matrem dixerimus. Comperiemus enim, aut alia virtute claros, qua liberis præluxerint, aut posuisse omnem curam in liberorum educatione: quam curam nobili viro cum primis incumbere & esse dignam statuimus. Rarissimum enim, vt quis prorsus primus ex se ipse oriatur, quod de Iphicrate, populi Atheniensis duce clarissimo, accepimus: atq; hic humilitatem suam non tegebat. Prædicabat enim, qui tantus esset hodie, vt copias duceret, pridem fiscina cum piscibus humeros onerare solitum, quos ferret Tegeam, vnde in diem viueret. Referat huc, cui libeat, Agathoclem, potentissimum ex figulo tyrannum: quod exemplum vt à nostra disputatione alienius remoueo. Propius ad rem pertinet, quod vnum de multis referam: Tullij pater, vir honesto & vel primo apud suos Arpinates loco, filios reip. sedulo educasse ad virtutem in litteris, in historia scribitur. Cui autem nota non est M.

F

Cicero.

Ciceronis nobilitas, siue omnis historia? vt eam verbo attigisse satis sit. Quem verò tu, Leznere, in ea voluminis tui parte in viris nobilibus celebras Ioannem Iagmannum, familiæ suæ conditorem, is quantū patri, honesto cum primis viro & assiduo patri familias debeat, & quàm se patri omnia debere profiteatur, mihi in familiari sermone aliquando prædicauit, cum de studijs doctrinæ omnis generis & his ciuilibus, ac quidem de educatione iuuentutis inter nos ageremus. Namq; hanc ipse quoq; curam, in grauissimis alijs publicis negotijs, non solum non negligit, sed vrget prouehitq; maximè: neq; nullus ipsius diligentia hac in re fructus apparet: quod fortasse à me alio loco vberius & luculentius explicabitur. Narrabat autem, vt à patre Ioanne Iagman, quem honestum virum apud Hieropolitas in prouincia Brunsvigensi vicina (etsi Exfeldia propriè Brunsvigensis esse creditur) nouim⁹, fortunis mediocribus, quas studio si non augebat admodum, at conseruabat sedulo, vt frugi patres familias negotiando solent: narrabat, vt à patre missus fuisset in ludum litterarium: vt ab eo in litte-

litteris adolescentulus initio parcè, nec sordidè
tamen habitus, non solùm rei consulens, cuius
& opulenti rationem habent, nedum aliquid
profundant, sed ætati etiam filij. Ea enim ætas
non tractat numum sine periculo. Puer enim
numi herus, sæpe numum, nec numus rarò he-
rum perdit. Iubebat item filium consuetudine
modestiorum vti, vt omnes patres hac de re reli-
giosè, nec id sine causa solliciti sunt. Ad quem
modum filius disceret, permisit præceptoribus:
atq; cum esset viribus corporis firmis, & ingenio
acri, ardens desiderio sciendi, & totos dies stu-
dijs incumberet, quocunq; se conuertit, id perce-
pit, non solùm pertinace diligentia, sed sapius
etiam aliud agens. Ita in spe, quam de hoc filio
certam concipere iussus fuerat, & singularem
conceperat pater, & à viris doctis & ab amicis &
ipsa re confirmatur. Nec enim se adolescentu-
lus ad ea, quæ plæriq; eo ætatis flore sectantur,
vel ipse conuertebat, vel ab alijs pertrahi patie-
batur: sed erat in litteris eo modo, vt ex bonis
scriptoribus olim profutura multa quotidie di-
sceret & memoriæ mandaret. An non enim ita
est,



est, ut quæ pueri discimus, quorumq; utilitatem non perspiciamus; nec id mirum sanè, cum multi alij, nec ipsi rerum imperiti ludicra esse, & nugas, nihil vniquam profuturas, arbitrentur, & interdum dictitent: eorum vsus demum ad negotia accedentibus appareat? Bono deinde consilio vsus fuit pater, & fecit liberaliter, qui ephēbū iam, aut vix ephēbū filium, è ludis puerilibus exemptum, cum maturè prima litterarum fundamenta rectè iecisset, in academiā misit. Probo namque huiusmodi consilium, etsi super hac re alijs aliter videtur. Ego enim sic existimo, qui inter pueros adolefcunt, eos animis puerilibus esse, & manere vt plurimum, aut viriles vix tandem induere: quin res ipsa docet, qui ita educantur, ad gerendas res, & ad omnes vitæ partes, esse ineptiores & tardiores. Consuetudo est, vt in quibus vitam agere quis decreuerit, ad ea se in tempore conferat, quod nequaquam improbo: sed idem tamen contendo, id fieri non aliter oportere, nisi comparatis necessarijs adminiculis, & ijs doctrinis antè delibatis, sine quibus supra vulgus in vitæ vsu nemo sapit. Hic verò adole-

scens

scens non imparatus se ad iuris studium contulit. Quæ enim adiumento sibi ad omnem civilem prudentiam fore acceperat; eorum principia maturè & integrè percepit, magistro vsus & docto & industrio Iusto Vulteio., cuius & ipse fidem hodiè præ alijs prædicat. Eo igitur duce, tam differendi, quàm dicendi artem è riuulis peripateticorum fontium bibit, versans simul, cum in alijs Græcis scriptoribus, tum cupidè admodum in Isocrate, qui non minus civilis disciplinæ, quàm eloquentiæ princeps perhiberetur: cumq; iurisconsultos sedulo audiret, Væsebecium, Colerum, Monachum, simul etiam illa studia percoluit: sed rectè luculenteq; dicendi artem potissimum, quam & vitæ necessariam, & dominari in rep., iam nouerat. Cum igitur integritate morum & perpetua diligentia, liberalitatē patris acuisset, facile ei persuasit, vt quantum in sumptum opus esset, ad perlustrandas quoq; longinquas terras & cursum studij legum perficiendum, polliceretur, quod prædiuites sæpè filijs negant. Plæriq; enim patres metuunt, ne rem familiarem nimium attenuent. Itaque itinere in

Galliam suscepto, Argentinæ mansit aliquan-
 diu, inde contendit Lutetiam, quæ multis sæcu-
 lis academiæ Europæ princeps habita fuit: &
 ibi verò, & in quibus alijs videretur vrbibus atq;
 academijs, quamq; diu videretur, substitit: nec
 ullos doctrinæ principes, nec quem primarij or-
 dinis iuriconsultorum insalutatum sibi relin-
 quendum putavit: audiuit Cuiatium, & Hoto-
 mannum, & Contium, nec non alios: præterea
 à primis consilium petijt, quo & ea ætate, & de-
 inceps vteretur. Habere enim hoc videntur di-
 sciplinæ, cultui vitæ mortalium destinata, vt ele-
 mentis probè perceptis, de consilijs eorum, qui
 rem intelligunt & ingenia dinoscunt, percipian-
 tur discentium industria, non tam scholis do-
 centium, in quibus in perpetuum hæere non o-
 portet, quàm lectione scriptorum, qui hodie in
 manibus & multi & probati sunt, vsu deniq; per-
 ficiantur: qui primus initium dedit, & in se conti-
 net ferè omnia. Quæ cum siue à prudentibus ac-
 cepisset, siue vidisset pro perspicacia ingenij, iu-
 uenis admodum ad eam metam, quæ non nisi
 discentium habetur, contendit & peruenit: &
 pote-

poterat, quando se ex illo spatio, nec otio, nec voluptate, nec vlla re ludicra, nec alienis studijs, reuocari patiebatur, nec valetudinis gratia, quæ infirmior remoratur interdum non nullos, subsistere necesse habebat. Cogitans igitur de reditu in patriam, Basileæ de iure publicè respondit, nec ita multis mensibus post saluus & expectatus & gratus admodum ad suos redijt. Accessit porrò maturè ad negotia, in quibus cum viri industria & patientia laborum appareret; ad docendum ius à duce Iulio accitus fuit. Cum enim tribus annis antè academiam nouam condidisset, eamq; cum omnibus alijs rebus, tum non ex vulgo petitis doctoribus constituere in animo haberet: huic nostro Ioanni Iagmanno locum in ordine iurisconsultorum aperiebat: id quod singulari consilio fecit princeps Iulius. Namq; & exploratum & charum esse Iagmannum gentili suo, eximio principi Guolfgango cognouerat: accedebat alterum, quòd de suarum prouinciarum ciuibus ornandis, potissimā curam gerebat, si quis præ alijs virtuti incumberet, & in aliquo disciplinæ genere excellere præ-

dica-

dicaretur. Hinc etiam factum fuit, ut initio ex academia Rostochiana pernobilem iuriconsultum Ioannem Borcholdium, & me in academiam Iuliam accerserit: ac mansit in hac sententia, ut quorum gratia potissimum hoc nouum & regium bonum constituisset, eos quoque ipsius custodes & propagatores esse vellet præ alijs, quamquam & exteris, ut res postulabat, pluribus utebatur. Etsi enim nec de alijs viris bonis sinistrè suspicabatur, tamen sibi de ciuium suorum fide minus dubitandum, & siquidem etiam in hoc beneficium est, deberi ipsum primum suis, si qui publicum munus ex dignitate & vsu patriæ sustinere possent, sapienter iudicabat: & ab hoc iudicio suo deinceps non abiit: quod & res ipsa confirmauit, & ex ipsius ducis sapientissimi sermone sic accepi, ne quis me è coniectura loqui, aut vel principis vel cuiusquam laudi oratione seruire arbitretur. Insistit verò etiam, quod ad cætera, tum quod ad hoc, paternis vestigijs & ipse dux noster, princeps sapientissimus, Henricus Iulius. Quanta porrò cum laude Iagmannus hic & docuerit & de iure responderit, & honores publi-

publicos gesserit, testis est academia: quin & eiusdem fides, labor, dexteritas, in negotijs explorata fuere & apparuere statim, cum & graues causas tractaret, & in foro primario prouinciali inter iudices sederet. Sed quid ego tibi hæc narro, quorum nihil te fugit, cum à te plæraq; acceperim? Iccirco facio, tum vt si fortè hæc & alij legant, eadem hinc cognoscant, tum quia idem ad ea, quæ mihi proposui persequenda, commodum est. Dixi autem labore multo & virtute vera perueniri ad veram laudem, & virtutis insignia non aliter comparari, & esse, qui tali generi faueant, cum alios è primis familijs præstantes viros, tum principes gentium, & ipsos reges. Postquam virtus, quo verbo eruditionem, industriam, & fidem, & quæ huc accenseri oporteat, si quis omnia disertè explicet, complector: postquam igitur virtus Iagmanni magis magisq;, & ni fallor, penitus principi Iulio innotuit, nouis laboribus firmos tanti viri humeros onerandos censuit: nec tamen vt grauiores clitellæ validiori iumento imponuntur: sed ipsum simul dignitate auxit & fortunæ bonis, sapiente consilio, &

G

vltro.



vltro. Cumulabatur negotia, eaq; ardua, vt plu-
 ribus & praestantibus viris op^o esset, & senatorum
 princeps Cancellarius iam consenuerat, vt one-
 ris parte subleuandus videretur: ibi tum princeps
 nec ambientem nec cupientem Iagmannum, ex
 academia vmbra in palæstram aulicam accerfi-
 tum, in senatores illius loci retulit, prorsus arbi-
 tratu suo: neq; non ille se suasq; res prorsus prin-
 cipi credidit, quem & recte de virtute existima-
 re, & praeter mercedes liberales praemia quoque
 dignis decernere nouerat. Hæc ita geri miraban-
 tur, qui viri praestantiam in rebus gerendis nec
 ipsi perspexerant, nec principi exploratam esse
 compererant: neq; tum quiescebat inuidia, quæ
 in omni cuiusq; felicitate se ex insidijs cum indi-
 gnatione subito commouet, praesertim si qua o-
 riatur bonis paullo illustrior. Non dicam quan-
 ta pestis hæc sit vitæ: quis enim hoc nesciat? vn-
 de sit, non reticebo: nimirum quisq; sese supra
 modum amat, & sua, vix etiam mediocria, in-
 primis censet: atq; hoc est, quod de aliena virtu-
 te minus æquum iudicium ferre possumus: vnde
 labimur in errorem alterum, nobis deberi, quod
 alijs

alijs datur paullò liberalius. Si quis in se descen-
dat; vix aliquid in verbis factisque suis, aut inti-
mis etiam præcordijs inueniat, quod laudem &
felicitatem mereatur: sit animus virtutis & con-
silij egens, somnolentus, honores & diuitias so-
mnians in voluptatibus, & formidolosus ad ne-
gotia, & ad aspectum virorum: cuiusmodi ut
neq; fortem militem esse conueniat, ita neq; ge-
storem negotiorum ciuiliū. Quin, quemad-
modum ille hostem iam habet, in quem se ani-
met: ita hic nec calumniatores metuet, & aduer-
sum malos inimicitias non rarò suscipiet. Tam
magno animo & tanto consilio, & ijs respon-
dente eloquentia in negotijs priuatim & publicè
tractandis, cum esset Iagmann, initio pro Can-
cellario fuit, ac deinceps id munus, principe Iu-
lio ita statuente gessit, & decimum iam annum
principe Henrico Iulio gerit, approbantibus bo-
nis, & rectè de tali officio existimantibus, quod
non cadit nec in vulgi censuram, nec in eos, qui
se lædi putant, quando ille in officio nemini non
æquus est, nec quos fortè liuor stimulat. Nulli
enim horum rectè iudicant. Nam neq; multitu-
do,

do, quod verum est, videt: nec iniqui vlla in re æqui fiunt: naturam inuidiæ antè perstrinximus: quæ hoc quoq; habet, vt & rectissimè gesta calumniatur, & si quid erratum videatur, in eo animaduertendo tota sit & perpetuò: quali fuisse natura nescio quis Momus perhibetur, vt in formosissimo & ad vnguem facto corpore, maculam latentem quæreret, siue confingeret, in eaq; missa omni admirabili pulcritudine omnes incensendo calumniandi vires experiretur. Attingi studia magni viri: in quo fortè tamen malevolentia siue inuidia reprehendet, quod benevolentia & æquitas laudandum iudicet. Quare liceat hîc mihi dicere aliquid in malos mores, quod pro meo hoc consilio facere videatur. Valde improbo, & quis bonus non detestetur? huius ætatis scriptitantium consuetudinem, calumnias & conuitia non solum in leuiter aberrantes, sed etiam in satis bonos, immò in optimum quemq;, chartis illinentium, aut suam inter se famam, gladiatorijs animis, Archilochio stylo, confodientum. Doctus idemq; modestus vir vel præstantes vltro laude afficiet, vel laudari ab alijs
non

non molestè feret: ac præcones virtutis & bonorum non facilè reprehendet, sed singulari benevolentia prosequetur, nec ipse bonæ famæ negligens. Non descendam tamen altius in viri laudes. Nam pleno ore quemquam in os laudare, quod adulationis est, nec ipse velim, nec pudenti gratum sit: nec huius verò loci, negotia exponere, in quibus & fidem, & prudentiam, & eloquentiam principi & communi patriæ probavit: nec verò queam, quoniam & multa sunt, nec mihi nota omnia. Vnum tamen eximium eius in patriam meritorum prædicabo: quod etsi ille, se sine scelere prætermisurum non fuisse diceret, tamen à plerisque ita negligitur, ac si non deberi, ac ne requiri quidem, existimari possit. Namq; quotusquisque nostri ordinis, postquam honores & fortunas adepti sunt, præ se fert, id omne se debere litteris? quin pleriq; iam tum litteras in precio non habent, nedum ad eas respiciant, deq; ijs ornandis ac propagandis cogitationem aliquando suscipiant: quo non solum nihil ingratus in studia doctrinæ, nihil in ordinem nostrum contumeliosius, sed ne quidem quic-

quam in temp., futuram præsertim, iniustius fieri possit. Adeo plæriq; suas res, siue non tam sui officij dignitatĩq;, quàm sui commodi falsiq; honoris res agunt, vt nec adolescentiæ bonum, nec salutem alterius sæculi respectent. Namq; de educatione liberali & recta cum primis cogitarēt: quæ sine luce ingenuæ doctrinæ, maximam partem iacet: sed in eos non inuehar, quorum ingrati animi & incuriæ pœnas ipsorum etiam filij pendunt, neglecti à patribus, non tã in negotijs reip. gratia, quàm in quærenda re & auro cumulando occupatis. In memoria habeo exempla multa, nec obscura: nec quis hæc leget, quin aliqua meminerit, & ipse multos notet, quos ego non nouerim. Magna hæc laus est, non tam per se ipsam, quàm quia tantopere negligitur, rectè educare liberos, rectã educationem publicè procurare, rem litterariam, quæ aliorũ negligentia collabatur, aliorum improbitate conuellitur, factam tectam velle, & bonis consilijs omniq; ope aduerso noua artificia & vim ingruentis barbariæ tueri. Ipse quidem dux optimus, Henricus Iulius hanc primam curam gerit, vt gentium pastorem &

& patrem ciuitatis decet: secundam demandauit primo suo senatui, cuius Iagmannus ratione officij & dignitate princeps, quid non agit pro educatione iuuentutis in ipsis negotiorum perpetuis fluctibus, & pro acad. Iulia? Actum fuit, vt nec maiore humanitate, nec maiore studio agi poterit, & agitur in hunc diem, vt cum inferiora omnia bene constituta sint, & si quæ desiderentur, constitui paruo negotio porrò possint, tum & concordia sit inter docentes, quàm esse oportet, si iuuentus doctrina & virtute ad remp. educari debeat, & omnes disciplinae rectè, ordine, nec mutilatè perpetua diligentia tradantur. De qua re non nego me accuratè aliquando locutum cum Cancellario, & istos sermones persecutum etiam non vnis litteris, vt eius curam in summis occupationibus non nihil subleuarem. Quod cum esse officij mei non minus, quàm cuiusquã collegarum omnes intelligant, tum nemo negabit, opinor, nisi qui cæteros nihil videre, se solum sapere somniet, me hac præsertim ætate in hoc genere cognouisse & videre præ vulgo præraque necessaria, qui semper doctissimos quosq;

vt de lectione taceam, audierim, & deinceps
 quemcunq; audire non detrectem, qui aliquid
 bonæ rationis in medium afferat. Non dissimu-
 laui igitur, esse, qui tyrannidem excerceant in re
 litteraria, vetustissimos & multis sæculis proba-
 tissimos calumnientur, & è manibus adolescen-
 tum extorqueant, inani promissione nouæ &
 compendiosæ, vel nullius potius, sapientiæ: sub-
 stituant deprauatorum illa decreta, & artes plus-
 quam fuliginosas, haud recedentes à mechani-
 cis, vt vulgo appellantur, & alijs, quas infra eas ef-
 se censeas, nec ab ijs aut agendi modo aut fine
 discretas. Finem enim illi sensibus metiuntur,
 mentis potissima cura posthabita, de cuius perfe-
 ctione securum esse quemq; iubent, secuti ma-
 gistri sui ineptias. Itaq; etiam exterminant o-
 mnes scientias, nisi quatenus vitæ seruiunt, vt pa-
 læstrica aut sutoria. Ita verò tirones in sua, mu-
 sis inimica, palæstra exercent, vt non ad rectæ ra-
 tionis præcepta, sed ad nouam quandam detor-
 tam contortamq; regulam omnia exigant, quæ
 sapientes & disertos non magis faciat, quàm
 sunt ad columaniculæ: quod si cum erudito ho-
 mine

mine

mine super aliqua re, nec ea admodum ardua disputatio instituenda sit, tum si in quo sit pudor, magis mutus euadit piscibus, aut, vt sunt plæriq; impudentes, loquacitate & contendendi artificio vincunt artopolidas, tam conuinci, quàm conuincere nescij: qui nec rationem adferant, nec rationem audiant, neq; hac, neq; ad hanc instituti, sed in sæuidica dicta sui doctoris iurati: nec tamen vt Samij sapientis sectatores, qui in quæ ipsi, cum annos aliquot insumpsissent in silentio, & pluribus de omnibus cum sodalibus & magistro contulissent, ingenij acumine penetrare non poterant, in ijs auctoritatem Pythagoræ modestè sequebantur. Non imbuunt autem illi suos greges tantùm magnæ sapientiæ & eloquentiæ persuasione, sed etiam contemptu præclarissimarum doctrinarum & doctissimorum hominum, & facultate optimo cuiq; obtrectandi & cum conuitijs maledicendi, quos suspicere & venerari & in studijs reliquaq; vita audire iuentus debebat. Qui eiusmodi tam contumeliæ quàm inscitiaæ tabernas in academijs fouent, aut tolerant, æquè male de rep. & de ecclesia,

H

quàm

quàm de litteris & philosophia merentur: de quibus merentur profectò pessimè. Qui talibus pseudodidascalis disturbatis, consilio & re ipsa procurant, vt in omni genere disciplinæ è doctissimis lectissimi quiq; quisq; in sua, publicè iuuentutem erudiant, non solum de litteris, & luce humanæ salutis philosophia, sed etiam tum de rep. tum de ecclesia eximie mereri existimandi sunt. Quod si quis hæc in profanis & impijs ponit, vt audio, ille quid in sacrosanctis habeat, me non videre ingenuè fateor. At ego sic existimabam, & hanc non meam esse, sed à doctissimis sanctissimisque viris profectam sententiam, bonis litteris & philosophia contineri vitam hominum & fulciri religionem: atq; hoc profectò ita est, confirmatum quoq; testimonio religionis & nominis Christiani hoste acerrimo & astutissimo. Edicto enim sanciebat Iulianus: namq; eam legem appellare nefas duxerim, quæ omnium primam & sanctissimam in perpetuum inductura videatur: vt Christianorum liberi in vniuersum à litteris & philosophia exterminarentur. Videbat enim vtrumq; & fatebatur, philo-
so-

sophiã primum impios cultus & multitudinem
numinum labefactari. Quid enim sibi volebat,
cum diceret: nostris pinnis conficimur? nec pos-
se deleri Christianam religionem, nisi à scholis
in perpetuum arcerentur, & in inscitia voragi-
nem demergerentur Christianorum filij. Sic e-
nim neq; in impietatem, neque pro pietate ver-
bum facturos, deniq; omnes facile deletum iri,
liberalium disciplinarum ignaros omnium. Sed
relinquamus hos, qui vsq; adeo vltro & malitio-
sè insaniam insaniunt incurabilem. Nec enim,
vt qui malum non sentiat, nec velit agnoscere,
aut agnitum tolli vetet, à morbo aliquando li-
beretur, vlla nos finit sperare ratio. Eorum ve-
rò mentionem feci, non aliquo in quemquam
mortalium odio, qui omnibus, & vel mihi mor-
taliū inimicissimo, precer, quod omnium re-
rum optimum est, bonam mentem: sed vt ma-
gis illustretur hoc beneficium, quod tantopere
prædico, & nullo inferius esse facile conuicerim.
Hac quidem in re voluntate neq; ipse cuiquam
cedo: neq; opera nihil ago: consilio, quantum
queo. Quidquid autem præstatur apud nos in

educatione recta iuuentutis, id totum deberi o-
 ptimo & sapientissimo principi, de nostra prædi-
 catione cognoscet posteritas: secundæ fuere in
 hoc negotio partes Iagmanni Cancellarij: fortè
 mihi quis non iniuria tertias tribuat, quas ego
 cum collegis libenter communico, & si quid in
 hac re sit laudis, in eos id omne transferam.
 Quidni enim, cuius conatus & studia, & si qua
 sint mea merita, eorum etiam voce & scriptis in-
 clarescant magis, si in hoc sim ambitiosior? Con-
 tendo autem, siue potius testor, amicum nostrū
 & erga musas esse gratissimum, & amantissimum
 studiosę iuuentutis, & publici boni, vt quisquam
 alius, studiosissimum, & salutis publicæ postpo-
 nere honores & quicquid est fortunæ bonorum.
 Nec tamen ei meo testimonio aut hoc loco, aut
 hodiè opus est: quod tamen fortè altero sæculo:
 vel ad longinquos, valeat. Quò enim fama viri
 virtutum non penetrat? Cum igitur etiam Ru-
 dolphus Secundus, imperator humanissimus, &
 virtutis censor eximius. Hæc enim laus omni-
 bus victorijs & triumphis maior, propria est gen-
 tis omnium sub sole pluribus iam sæculis famili-
 arum

arum longè nobilissimæ, quam & hostes admirari necesse habent, & adorant non minus atq; nos, & principes præterea & reges maximi. Cum, inquam, Rudolphus Imp. de Ioannis Iagmanni virtute & doctrina ab alijs fuisset factus certior, prudentiam & eloquentiam & integritatem viri ipse in summis negotijs cognouisset, ipsum benevolentia Cæsarea dignum censuit, & de eo non vulgariter virtutis ergò ornando constituit. Quid multis? Iagmannum in primarium honoris gradum collocavit, inq; eum ordinem, qui est legitimæ nobilitatis, & apud nos equester appellatur, retulit, additis insignibus, vt plurimum sæculorum consuetudo fert. Illustre est autem hoc beneficium, quod cum honori sit ei, cui datur, tum eum ipsum reip. arctius obligat: his nominibus illustrius, quod cum ad posteros quoq; pertineat, tum ijs auctoris nouæ gentis imitandi necessitatem imponat. Nam exprobrari genus solet, à virtute desciscentibus: vnde intelligitur generi à maioribus propagatam, conseruatam & auctam virtutem, rectius competere & assignari, quàm prisca opes: etsi non reprehendo,

qui nobilitatem in genere & diuitijs priscis ponunt. Cum enim & cætera vitia & ignauiam excludant, virtutem ipsi stabiliunt. Dixi legitimam nobilitatem, vt eam natiuæ adijcerem, & distinctam, ni fallor, ab ea tamen non diuellerem: quamquam si quis in rem ipsam descendat penitius, ipsa quoq; natiua non solum legitima, sed primo loco legitima est, cum quod lex vniuersa & legitima omnia à natura oriuntur, tum quòd hæc nec fallere vnquam potest, nec tale quid in animum inducit. Quia verò de hac plæriq; perperam statuunt, credo, quòd pauci primas illas imperatoris vniuersi tabulas mente contemplantur, nedum intelligant: altera inuenta est, quæ illam ostendat, obsignet & propaget: quod tribuere non minus est maiestatis, quàm numi character. Ciuitatis ius in statu populari apud Athenienses erat nobilitas: nec enim inquilini ciues erant: super hac re ita legibus constitutum fuit, vt ciuitate nemo dignus censeretur, nisi vir præstans, & præclare de rep. meritus: vt postridie posita à prytanibus vrna supra sex millia ciuium occulto suffragio hoc ius itidem

dem decernerent: neq; tamen non, si quis vellet, in noui ciuis vitam & omnes conditiones inquire, ei que de dignitate quaestionem apud iudicem mouere licebat, ne omnino quis in ciuitatem improbus, aut ciuitate qua de cunq; caussa indignus irreperet. Optimatum erat ea maiestas Lacedaemone: qua est hodie optimatum in rep. Veneta. Nec enim primae nobilitatis ibi quis re ipsa censetur, nisi in optimatum ordinem siue principes ciuitatis relatus. In Germania haec dignitas a prima maiestate proficiscitur, quam suffragijs omnium statuum ipsi tribuit Deus. Quod hoc tantum beneficium Iagmano gratulamur: amice a nobis fit, & vt bonis viris dignum est: inique admodum faciunt, si qui carpant, & inuideant. Bonis nec virtuti inuidere, nec virtutis insignibus, qua praesertim virtuti tributa animaduertantur, in mentem vquam veniet: qui reprehendat; hic vel ea de caussa non leuiter obiurgandus sit, quod de tanta maiestatis iudicio & temere & frustra iudicet: ego id genus relinquendum putem, vel quod improbi, vel quod vulgus. Cum vtroq; enim frustra contenderis:



deris: quod vulgus crudiri nequeat, malitia nolit. At verò dicet alius, homo non iniurius, neq; nulli subscribent eius sententiæ, qui nec ipsi iniurij videri velint: dicet autem: ista prima præmia in republica deberi militibus: & hoc genus inuentum destinatumq; , non nisi ijs, qui manu hostem à ceruicibus patriæ propulsarint: qui vitæ discrimen adierint: non sine causa nobiles viros ordinis equestris censeri & dici. Multa est enim talium oratio, quæ ab æquitate profecta videatur: sed multa hi ipsi non vident, aut videre se dissimulant. Primum ego harum rerum existimatorem cogitare iubeam: non minus benè de patria mereri, qui domi vigilat, & cauet, ne quod intestinum malum oriatur, aut ortum industria sua tollat, quàm qui amoueat irruptiones hostium: non disputo, vtrum difficilius sit, etsi, qui domi seruat, à limine arcere minore negotio posse videatur, quàm motum intestinum sedare: alterum liquet, certum ferè tempus esse militiæ, quamdiu videlicet hostes ingruunt, aut metuuntur: at pace constituta & durante, numquam non occupantur viri politici, tum vt ma-
lo-

lorum alia neq; dum orta declinent, tum alia, siue pullulantia, auertant consilio. Consilio enim sæpè quasi funduntur immanes hostium copiæ, quando aut caussæ belli præciduntur, aut concordia sarcitur, & illa optata pax auroq; contrà cara, populis restituitur. Deniq; quis vñquam virtutem & sapientiam sine graui & diuturno labore inuênit? quis sine periculo consilia direxit aut dedit? Si nihil sit præter inuidiam; an non hæc existimationi optimè merentium semper insidiatur? an non ferit calumnias? an non maledicit? quis sine dimicatione res magnas in summo etiam otio publico gessit, siue conatus improborum demoliretur, siue leges vtilis, sed malis, & sæpè potentioribus ingratas ille ferret? Quis hanc esse militiam alteram, & perpetuam neget: nisi qui in manu plus esse positum, quàm in consilio opinetur? etsi consilio & ipsi bellorum duces & quidem multiplici & acuto, rem suo tempore gerere necesse habent: sed, vt dixi, qui in senatu principis aut reip. sunt, nullum diem à labore & negotio vacuum habent: nullam noctem sine cura, plærasq; insomnes agunt pro

I salu-

salute publica. Hæc qui apud animum confide-
ret, talibus viris res secundas inuideat? quin pri-
ma præmia ipsemet decernat. Qui sibi hoc per-
suadere per malitiam in scitiam uè nequeat; pu-
tet amplissimas resp., principes, reges, & orbis
imperatores, & ex re ipsa & decretis sapientiæ vi-
dere, quid hic rectum sit, & quæ quibus, quan-
taq; præmia debeantur. Quibus hoc ius est, siue
penes quem est ea maiestas, an non in altiore
dignitatis gradum quemuis collocet, qui tempo-
re necessario reip. subueniat, vel hoc se agere
præ se ferat, vel solo iudicio mali mabigat, siue
salutem aperiat? Quiduis horum rectè fieri non
dubito: reprehendi tamen audiui sæpe, nec à
vulgo solum, sed & à primis, qui & sibi & alijs &
mihi sapere videbantur, quamquam hic errare
dixerim. Sed hoc iudicium reges parui faciunt:
quid ni enim? quos non ad quorūlibet voculas,
sed ad rem respicere oportet, cogitantes, quod
ab vno inuentum, à multis iteratum fuit, regium
esse, benè facere & malè audire. Quod si rex aut
imperator, vel ob solam spem ingenij, quæ nemi-
ni non bona honestaq; admodum causa est, vel
ani-

animi beneuolentiam, cuius caussam aut tu non videas, aut ille fortè non habeat, vel fortunis aliquem cumulet, vel singulari honore afficiat; an non ratum esse hoc munus, siue priuilegium, siue præmium, acriter contenderis? Quod qui faciat, non solum frustra contrà nitatur, sed etiam perperam iudicet. Licet enim etiam illi maiestati, quæ recta plurima gerat, in aliquo leuiter aberrare: & ita fieri necesse est in rebus humanis, & ab homine nato. Nec verò fortè mihi quis supra fidem poëtarum confingat aureum sæculum, omnis maculæ & calamitatis expers: de quo in solitudine quis differat aut somniet, eius similitudinem vel vmbra nullibi gentium, in quibus hominum inter se consuetudo est, inuenit aut inueniat. De his igitur satis liquere arbitror: nobis etiam cōstat, cum nobilitas tanti sit, vt ostendimus, & in se continere putetur quandam quasi bonorum copiam, errare, qui oblatam negligat, non prorsus errare, qui eam vltro ambiat: licet hoc plæriq; improbent, illud paucis admodum videatur. Nec sanè verò ipse expetendum & petendum hoc primum præmium ijs esse dixerim,

I 2

qui

qui quamuis fortunati, nihil tamen viro dignum in rep. præ cæteris gesserint, quorumq; egregiam virtutem aut singularia erga patriam merita nemo dum viderit. Quin laudem modestiæ merentur, qui natiuæ humilitatis suæ siue imbecillitatis memores, viri probi suo se loco contineant, nec nisi verum absq; arrogantia de se prædicent: modò nec ordinis dignitati derogent, nec ijs maledicant, qui eam sibi virtute compararint: illud inscitia sæpè facit, hoc semper detestabilis inuidia. Ut autem rectè sentire de vnaqua; re, (neq; hîc de alijs loquor, quàm quæ in vitæ consuetudine versantur) perdifficile est, nec queunt, nisi bene eruditi & usu rerum præditi: ita sensim & facilè irrepit etiam in satis bonorum animos, nescio quid illius latentis, & à nobismet ipsis initio non animaduersæ inuidiæ: ac parum abest, quin in vniuscuiusq; ingenio eius mali quædam semina pullulent: quod eò fit, quia nec nos ipsi nouimus, & vt nos norimus, in eo vix aliquid operæ ponimus, sed inquirimus in alios, quos nobis nosse tanti non erat, cum potius cuiq; expediat, vt se nouerit. Quidni verò igitur, qui magno animo
fit,

fit, & virtutis beneq; merendi studio inflamma-
tus, vt laudem & gloriam, sic & ipsa præmia, &
hoc in cæteris, de quo loquimur, ambiat? Nam
quod quis dicat, virtutem se ipsa contentam, & i-
psam sibi præmium, itemq; alia, & magnificè &
verè inuenta & prodita à sapientibus: ea ad phi-
losophos, & vitæ peritos atq; saturos, multoq;
perfectiores pertinent, quàm quos ciuilis con-
suetudo producat. Sexcenta talia decantare au-
diui à puero, & legi passim in scriptoribus, & con-
sideraui diligenter: nec tamen omnia mihi tum
persuasi, quibus hodie vtrò assentior. Deniq;
qui florente ætate, nec laudis cupiditate, nec præ-
miorum adspectu perstringatur, in eius animo
lucem virtutis & desiderium præclaras res geren-
di, vix vñquam exoriri existimem. An non vi-
demus & iuuenes & viros virtute præstantes ad
præmia respicere, oblata lætos accipere, delecta-
ri vocibus & litteris gratulantium? Quod &
omnes homines rectè fieri existimant, nec re-
prehendunt sapientes, sed gratulationum exem-
plis comprobant. Non planè falsò de forma di-
xisse putatur ille apud poëtam, cum inquit:

Abijcienda deum non sunt illustria dona,
 quæ tamen non nisi speciem breui euanescentem & in deformes admodum rugas desinentem habet: an igitur solidum hoc & cum virtute immortale bonum repudiandum putabimus, quod oblatum fuerit vtrò? Hoc quidem vel nimis abiecti & nullius sibi virtutis conscij animi, vel superbi & auctoritatem regum præ se contemnentis foret. An non potius vtraq; manu accipiendum censeamus, sed & de eo tuendo consilium capiemus, & ad filios nepotesq; vnà cum virtute transmittemus? Nec metuendum sit, vt oborta aliquando inopia verus ille splendor aboleatur. Habet enim hoc virtus, vt & hæc insignia pariat, & opes, & quicquid habetur fortunæ bonorum. Verùm de omnibus, quæ exprobrantur, & obijciuntur, nec institui scribere, nec queam. Cui enim quæ falsa dicuntur diciue possunt, in mentem omnia veniant? Satis enim hoc mihi, quo quemlibet virum bonum contentum esse decet, vt in quaq; re verum videam, aut quod vero proximum: vero autem proximum, à quo qui discedit, in alios atq; alios opi-
 nio-

nionum errores & vitæ labyrinthos nolens volens incidit. Præter hæc autem alia, neq; falsa, & non nihil profutura de nobilitate mihi in mentem veniunt: & in mentem veniant plura, si in hanc disputationem, qua par sit, cura incumbā. Nam vt de alijs quæstionibus taceam: latissimus est campus de officio viri nobilis: nec non sit operæ pretium, hunc locum pertractare, quem nos tantum attigimus. Sed vt te, & si quis præterea hæc leget, dimittam absque vestra molestia, frenem huic scriptioni imponam, hac lege, vt si quid præterea quæras, tibi sim declaraturus, cum otium erit, nec inuitus, non tam quid mihi videatur, cuius iudicio testare non iubeo, quàm quid sentiant, quos de præcipuis rebus differentes vel legerim vel audiuerim. Sic enim existimo, esse modestiæ & grati animi, fateri, de præcipuis rebus hodie nihil ferè depromi posse, quin antè sit indagatum diligentissimè & inuentum rectissimè: è quibus nos veras de omnibus sententias ita decet discere, vt è matribus infantes vernaculum sermonem imbibunt. Vale, Helmaestadio ex ac. Iul. Kal. Nouembr. 610. 10. 16.

F I N I S.

Σφάλματα, nec ipsa tamen admodum enormia, sic corrige:

In dicto Platonis lege, Φανείται, pro Φανείται.

pagina 19.	versu 13.	necesse,	pro necesse.
22.	2.	cum,	cumq ₃ .
25.	21.	magistram,	magistrum.
37.	21.	etiam,	ἔ.
38.	20.	quàm ne in,	quàm in.
40.	1.	bonis insig.	insig.
59.	17.	mortalium,	priore loco dele.

leniculis veniam dabis, ἔ ipse me deberis.



AB: 155265

ULB Halle 3
003 878 325



Sb.

V 17





6
IOANNIS CASELII
AD
IOANNEM LEZNERVM
ΕΥΓΕΝΗΣ
SIVE
DE NOBILITATE
LIBELLVS.



HELMAESTADII
in ac. Iulia excudebat Iacobus Lucius.
ANNO MDCC. Mense Maio.

